

laudasse memorat : « Anno præter propter 1147, cum Afflighemensium sanctam vitam oculis usurpasset, ita pronuntiasset fertur : « Ubique inveni homines; hic vero angelos. Verum Affligonium, ubi genius affligitur. » Ita habent ejus loci monumenta. »

500. Etiamsi vero Gaufridus nihil dicat de adventu S. Bernardi ad Afflighemenses, inde tamen non sequitur, ipsum ad eos non divertisse; cum contrarium habeatur in Chronico nostro ms. abbatum Villariensium, quod signatur *n. ms. a*, et transcriptum notatur ex ms. Rubicavallis, fol. pergam, ex parte Novalis SS. Annus Domini 1333, ultimus est, quem ibi signate notatum reperio. Post Proœmium vero sic laudatum chronicum incipit : « Cum aliquando sanctus Bernardus causa prædicationis Brabantiam intrasset, ut fructum aliquem in ea acquireret, sicut et in cæteris gentibus, cœnobium Afflighemense adiit, duos sermones ibidem faciens : in eujus memoriam baculum, in quo consueverat sustentare imbecilles artus, Afflighemenses conservare feruntur. Sed cum eos Ordini Cisterciensi adunare voluisset, nec voluisset cœnobium Gemblacense intravit, et charitative in eo susceptus casulam suam, quæ adhuc ibi est, in eo dimisit ». In Chronico seu Historia Villariensi typis vulgata apud Martenium Thesauri novi anecdotorum, tom. III, a col. 1269, eadem memorantur. Mnemosynon vero a S. Patre relictum Gemblacensibus; ita describit Raissius idem qui supra : « Planetam suam donavit, veteri more undique dependentem, et stolam cum manipulo : in quibus sunt imagines, pulchre per phrysonem acupictæ; uti mihi videre aliquando contigit. » Ex iis autem; quæ in Irudato chronico postmodum notantur, « cum autem dominus Gyrdoldus cessisset, factus est dominus Fastradus tertius abbas Villariensis, et hii duo fere quinque annis sabbatizaverunt. Sed, cum anno Domini 1151; sanctus Bernardus hunc locum visitasset, et divina in oratorio celebrasset, facta convocazione multorum abbatum Remis sedavit ibidem controversiam ortam inter nos et ecclesiam S. Foillani martyris; « ex iis, inquam, colligitur; S. Bernardum ad suos alumnos Villarienses plus quam semel divertisse. Vult Raissius, sanctum Patrem « prophetico spiritu... affirmasse, quod plures ex illo loco monachi ad cœlum essent migraturi; quam ex quovis alio ejusdem ordinis monasterio : quemadmodum sequentibus temporibus contigisse, vel ex hoc, » inquit, « meo Auctario apertissime colligi potest : in quo triginta facile ex eo monasterio religiosos omnes vite sanctitate celebres, descripsimus. » Hæc Raissius. Sed redeamus ad propositum; unde tantisper digressi sumus. Ex iis, quæ proposuimus hactenus de famosa traditione Afflighemensi, tria deducimus corollaria. Alterum est, nequam nos velle eam traducere tanquam falsam vel apocrypham. Alterum, dolere nos; propterea quod pro voto nostro non possimus eandem tanquam historicæ certam nervosius comprobare. Tertium; per nos statutum, quo minus re-

ligiosissimi ascetæ Afflighemenses in suæ traditionis possessione perseverare pergant.

501. Quandoquidem vero toti hic sumus in colligendis favoribus cœlestibus, qui Patri sanctissimo indulti referuntur, eo pede, quo supra, pergemus, et alia in hoc genere charismata ipsius recensemus. Auctor Annalium Cisterciensium ad annum 1153, cap. 12, num. 2, et sequentibus scribens de prærogativa singulari; qua Christus Dominus dilectissimum sibi famulum honoravit, sic ait : « Ejus imaginem e cruce ipsa pendentem; cum a Bernardo tenerius salutaretur; solvisse brachia, ruisseque in amplexu salutantis; omni exceptione major auctor Exordii magni memorie prodit. » Factum exstat apud Tissierium distinctione 2, istius Operis, cap. VII, his verbis descriptum : « Dominus Menardus [al. Medardus et Gerardus], quondam abbas de Moris, quod est monasterium vicinum Clarævalli, vir religiosus; mirabilem quamdam rem quasi de alio retulit familiaribus suis; quam tamen sibimet evenisse putamus; ita dicens : Notus est mihi monachus quidam; qui beatum Bernardum abbatem aliquando reperit in ecclesia solum orantem : qui; cum prostratus esset ante altare, apparebat ibi ei quædam crux cum suo Crucifixo super pavimento posita coram illo : quam idem vir beatissimus devotissime adorabat; ac deosculabatur. Porro ipsa megestas separatis brachiis a cornibus crucis, videbatur eundem Dei famulum amplecti; atque astringere sibi. Quod dum monachus ille aliquandiu cerneret, præ nimia admiratione stupidus hærebat, et quasi extra se erat. Tandem vero metuens; ne Patrem sanctum offenderet; si eum veluti secretorum suorum exploratorem ita sibi de proximo imminere conspiceret; silenter abscessit, intelligens nimirum ac sciens de illo homine sancto, quod vere supra hominem esset tota ipsius oratio atque conversatio. » Nos piissimam hanc historiam multa cum admiratione veneramus; testimonio utique fide digno suffultam Exordii magni sæpenumero antea memorati, quæ etiam habetur in libro II, Herberti, Turrium Sardinie archiepiscopi, cap. 19, apud Chiffletium supra citatum, pag. 283. Apud Tissierium inter notas ad utrumque Exordium Cisterciense, quæ habentur post paginam 262, hæc observantur : « Quod de Christo viso amplecti S. Bernardum dicitur non contigit Moris, ut vulgo creditur : cum hoc cœnobium fuerit fundatum sub mortem sancti Patris. »

502. Quis porro fuerit Menardus seu Medardus iste; qui sacras hæc Bernardi delicias testatur, juvat hic addere ex Manrico, qui ad annum prædictum, cap. 17, oblata sibi opportunitate agendi de fundatione monasterii Morarum. « Accepto, ait, loco, Bernardus conventum misit, cui præfecit abbatem B. Medardum, illum nimirum, cui sacram Christi effigiem Bernardum amplexantem per visum an reapse conspectam diximus. Porro vir Dei sancto familiaris, sanctus et ipse, plures alias visiones vi-

dere meruit, præcipue de dilecto sibi parente, e quibus unam... a Godefrido scriptam transcribamus. » Sed videsis, lector, hoc factum lib. IV Vitæ S. Bernardi, cap. 1. De superiore favore Crucifigi plura alia congerit Manricus, cap. 12, quorum etiam hoc loco a nobis habenda ratio est.

503. Sic itaque pergit : « Consona tabula monasterii Clarævallis in claustro refectorii satis antiqua, delineato favore, et subscriptione posita : quæ rem non semel, sed pluries contigisse, neque per visum tantum, sed reipsa, alterum asseverat, alterum probabiliter præsumit. Alibi legitur, ait, quod, cum B. Bernardus quamdam devotissimam orationem composuisset, quæ incipit :

*Salve, mundi salutare,
Salve, salve, Jesu chare :
Cruci tue me aptare
Vellem vere : tu scis quare.
Da mi tui copiam,*

et eam (al. jam) coram imagine Crucifigi recitaret (al. peroraret), tunc imago Crucifigi, solutis de cruce brachiis amplexabatur (al. add. et osculabatur) eum : et pie credendum est, hoc sibi pluries contigisse. Hanc subscriptionem transcripsit ex ipsa tabula Bernardus Villalpandus anno 1199 cum illic ab abbate Fiteriensi ad hæc et alia lustranda transmissus esset. Meminit et illius Antonius Hiepius, centuria septima ad hunc annum (1153), cap. 5, eisdem verbis; » apud quem sunt variae, quas modo novati, lectiones.

504. « Ad idem faciunt Nicolaus Salicetus, et Philotheus, ante ducentos annos plus minusve; alter prosa oratione, versu alter scribens; et quidem Salicetus adeo constanter, ut producat antiquam orationem ad Bernardum Parentem, in qua idem Christi amplexus commemoratur. Transcribit primum Bernardi ad Christum verba, sub hoc titulo in *Antidotario anime : Oratio devotissima B. Bernardi abbatis Clarævallis, quam cum semel diceret ante imaginem Crucifigi, ipsa imago de cruce se inclinans, eum amplexata est.* » Dein subjungit orationem ad Bernardum, in qua per hunc dulcissimum amplexum quasi adjuratus, pro aliis intercedere rogatur ad eum, a quo meruit tantum favorem. Quin, et Henriquez in suo Menologio, Martii 23, constanter affirmat, in quodam libro cœnobii Cisterciensis adnotatum amplexum ipsa, qua contigit, die designata, nempe vigesima tertia mensis Martii. *Imago, inquit, Christi in cruce pendentis Bernardum amplexatur vigesima tertia die Martii.* Et in adnotationibus. *Ut in Martyrologio Cistercii notatum legitur.* Quod si ita est, non leve pondus addit cæteris omnibus.

505. « At Philotheus ejusdem temporis auctor, (nam scripsit recens cœnobii operibus, quæ a nascente in Europa typographia vidisse lucem, ipsa, quæ hodie etiam perseverant, perantiqua exemplaria, manifestant) : Philotheus, inquam, ejusdem

sæculi auctor, hunc ipsum Christi amplexum non minus prodit, cum sanctum Patrem ante illius effigiem orantem descripsisset his plane versibus :

*O decus, o nostri lenimen Christe doloris !
O mihi tam duro parta labore salus :
Felix, si tantas in me convertere penas,
Et liceat misero sic mihi posse mori.
Ipse immaturos ausim decerpere fructus :
Christe tamen dentes obstupere tui.
Sidera, terra, fretum, Domini miserescite vestri :
Flete meos casus, sidera, terra, fretum.
Talia dum memorat, Christi pendentis imago,
Solvit in amplexus brachia nexa suos.*

Hactenus Philotheus, et nos de hoc favore Christi Domini, quem tamen in Bernardo non stetit, sed transisse ad filios, quæ inferius reddemus, declarabunt. » Hæc Cisterciensis Annalista.

506. His vero, quæ modo retulit, addo plenioram notitiam de tribus scriptoribus ab ipso nominatis, Philotheo videlicet, Villalpando ac Saliceto. R. D. Carolus de Visch in Bibliotheca scriptorum sacri Ordinis Cisterciensis pag. 281, non videtur satis perspectum habuisse tempus Philothei : nam dicit quidem, eum fuisse « monachum ordinis Cisterciensis, et scripsisse carmine docto et fluido tractatum insignem De vita et moribus S. Bernardi, qui impressus legitur ad calcem operum ejusdem sancti Patris : » sed de auctoris tempore tacet : quod utcumque colligitur ex prologo ejus, in quo inductio ponitur beatæ Virginis Philotheum ad scribendum excitantis exemplo Baptistæ Mantuani, quem lego obisse anno 1516. Post hunc ergo scripsit ille. In eadem Bibliotheca Cisterciensi pag. 53, laudatur Villalpandus, cujus etiam ibidem opera commemorantur. « In vivis adhuc erat anno 1626, » ut ibidem dicitur. Salicetus « florebat anno 1480, et deinceps, » teste laudato bibliographo pag. 251, ubi etiam de libris ejus agit. Superest modo ut, priusquam ad supremos vite sancti Patris Bernardi annos illustrandos perveniamus, nonnulla præmittamus, quæ ad anteriores pertinent.

§ XLVIII. *Conversio Arnulfi : gloria cælestis ei promissa; victoria, ut fertur, regi Lusstanie addicta; iter cum Eugenio PP. ; merita de S. Malachia, quem novit esse in cælo; cura pro rege Gallie : frater ejus asceta Cisterciensis, uti et alius.*

507. Non infima S. Bernardi gloria fuit conversio illustris viri Arnulfi de Majorica, tum quia illa per se fuit mirabilis, tum quia mirabilis fuit modus, quo vir sanctus eam promovit. Manricus illam intexit ann. Christi 1147, quam et ibidem cap. 6, refert ex auctore Exordii magni, Arnulphi splendorem, conversionis ordinem ac modum describente. Exstant ea apud Tissierium distinctione 3, cap. 17. Ea tibi verba : « Dum reverendissimus Pater Bernardus aliquando provinciam Flandriæ intrasset, et retia verbi Dei in capturam animarum laxaret, et nobiles, et litteratos multos de fluctibus sæculi ad litus conversionis traheret, inter cæteros illustris vir Arnul-

fus de Majorica, dives et delicatus, secreto in manibus ejus se reddidit. Fuit autem utriusque consilium, rem silentio tegere, propter quædam impedimenta sæculi, usque ad ultimum diem, quo egressurus esset de terra, et cognatione sua. Erat enim magnus paterfamilias, ornatus filiis et fratribus, tantisque divitiis irretitus, ut absque suorum damno et scandalo gravi abrumpere se non posset, nisi prius domum sapienter et caute disponeret. » His de Arnulfi splendore, ac modo, quo in manus sancti Patris se totum tradidit, ab Exordii scriptore præmissis, pergit auctor idem exponere, quam mirabiliter divina clementia cum eo egerit, ut præstitutum sibi vocationis scopum attingeret.

508. « Interim vero, dum silentium istud tenerent omnia, et arcani hujus negotii causam ipsi duo soli in mundo scirent; factum est verbum Domini ad quemdam rusticum armentarium, cum boves minaret ad aratrum, dicens: Vade, dic Arnulfo de Majorica, ut secum ducat te in Claramvallem, quo proxime iturus est ad conversionem: et cum eo convertere. Audivit vero vocem, sed neminem videbat. Facta autem hac voce, cepit pauper ille attentius orare, ut, si a Domino sermo fuisset egressus, revaleret iterum auriculam ejus. Et adjecit secundo loqui ad ipsum, repetens eundem sermonem. Accepto itaque secunda jam vice oraculo, venit ad prætaxatum virum, et ait: Verbum mihi ad te dominum meum. A quo cum fuisset ductus in partem, procidit ad genua illius, dicens: Obsecro te per Christum Dominum nostrum, ut ducas me ad Claramvallem tuam, et salves tecum animam meam. Et, si scire desideras, Dominus pius et misericors secreta tua, causa salutis meæ mihi revelare dignatus est. Audiens autem nobilis ille paterfamilias verba ista, miratus et lætatus est valde. Acceptumque hominem conduxit ad se ipsum: quem etiam postmodum individuum comitem itineris pariter et conversionis habuit, habiturus, ut credimus, consortem æternæ retributionis. » Sic itaque visum est divinæ providentiæ vocationem Arnulfi roborare et promovere edito etiam hunc in finem cœlesti oraculo. Nec vero ille vocem Domini audiens obduravit cor suum.

509. Nam, uti pergit auctor Exordii magni, « Explicitis... negotiis, pro quibus moram fecerat, venit Claramvallem, tam submissus humilitate, quam sublimis divitiarum affluentia: multaque eidem monasterio de suis facultatibus contulit: sed et aliis nonnullis cœnobiis dona largitus est. Beatus vero Bernardus, de conversione ejus multum exhilaratus, talem de eo in conventu fratrum sententiam protulit: De conversione fratris Arnulphi nec minus admirandus, nec minus glorificandus est Christus, quam de resurrectione Lazari quatuoridui; eo videlicet, quod in tantis deliciis clausus atque sepultus, velut in tumulo jacebat, et quasi vivens mortuus erat. » At quam suaviter et paterne vir sanctus Arnulphum, contractas in vita sæculari peccatorum sordes sacramenti poenitentiae lavaero eluentem

A tractarit, operæ pretium est audire ex laudato auctore: « Huic, inquit, confitenti cum gemitu et lacrymis multis delicta universa, quæ in mundo contraxerat, B. Bernardus intuens cordis ejus amarissimam contritionem, et ad omne opus bonum spontaneam voluntatem, injunxit ei, ut *Pater noster* tribus vicibus diceret, atque in suo præposito deinceps usque ad mortem perduraret.

510. « Quo ille audito contristatus respondit: Ne, quæso, irrideas famulum tuum, beatissime Pater. — In quo, ait, te irrideo? — At ille ait: Jejunia septem annorum vel decem non sufficerent mihi etiam humiliato in sacco et cinere: et tu mihi præcipis, *Pater noster* tertio dicere, et in ordine perseverare? — Et sanctus ad eum: Ergone tu me melius nosti, quid te oporteat facere ut salveris? An forte tibi parum videtur, ordinem tenere, et in ipso usque ad mortem perseverare? — Ille vero respondit: Absit ab anima mea tam iniqua præsumptio! Sed propter Deum obsecro, ne mihi parcas in præsentem, ut melius parcas in futuro: et talem nunc impone poenitentiam, quatenus post mortem carnis ad requiem sine poena perveniam. Cui beatus Pater ait: Fac, ut locutus sum: et securum te facio quia, deposita mole corporis, mox ad Deum sine molestia pervolabis. Hoc itaque responso quasi divinitus accepto, confortatus est nimis, adeo ut deinceps nulla tentationum violentia, nulla infirmitatis molestia, posset a cursu desiderii, quo totus in Deum pergebat, aliquatenus retardari. Erat autem circa observantiam ordinis, et custodiam cordis sollicitus et timoratus nimis: ita ut neminem vidisse se recolam tam studiosum propriæ conscientie mundatorem. » E quibus ultimis verbis colligitur, ei, qui ista narrat, Arnulphum non modo synchronum, sed etiam apprime cognitum fuisse. Cætera, quibus deinde religiosissimi istius ascetæ elogium contextitur, apud eundem auctorem inspicere possunt. Conveniens autem omnino fuit, hanc mirabilem non præterire conversionem, cujus utpote gloria in S. Bernardum ex Arnulpho, tanquam ex filio in parentem egregie derivatur.

511. Historicus Cisterciensis ad ann. 1147, cap. 9, narrationem exhibet de Alphonso I Portugalliæ rege, qui scalabim (vulgo *Santaren*) expugnaturus, votum fecerit Christo in favorem Cisterciensium: additque, virum sanctum ei promississe victoriam, prece a se promotam, visamque et annuntiatam in Claravalle. Accedit eo ratio temporis, circa quod difficultatem esse fatetur: datur item epistola regis ad Bernardum, nec non hujus ad illum. Verum huic facto, quod refertur, securius nos suffragamur, si probatoris et antiquioris notæ scriptores produxisset Manricus, quam Britum et Brandaonium. Inter ea vero, quæ idem Manricus de hac re memorat, occurrunt nonnulla, ad ejusdem persuadendam veritatem non ex omni parte faventia: etenim, dum e « subscriptione recenti, » ut fatetur, nonnulla retulerat; observat, « plura » esse ibidem, « sed tempus prævenientia. » Deinde, exposita re gesta, subdit:

« Hæc Brito ex antiquis exemplaribus; quæ tamen dum Gerardum Bernardi fratrem colloquentem inducunt, quem constat obiisse ante septennium: ut non suspecta, corrupta esse apparent, atque additis quibusdam depravata. »

512. Summatim indicamus, quæ in Historia Cisterciensi ad annum 1148, cap. 5, prolixius referuntur, videlicet Eugenium papam Trevirim profectum, assumpto secum Bernardo, celebrasse concilium super revelationibus et scriptis S. Hildegardis virginis; episcopum Virdunensem ad illam misisse; scripta et revelationes approbasse, etc., sed illa ibidem legi possunt. Vide etiam præmissa a nobis de hac virgine § 39. Eadem Historia Cisterciensis ad annum mox indicatum cap. 6, ita pergit: « Tres menses Treviri Eugenius papa fecit: post quos (in Galliam reversus, Claramvallem (incunabula suæ religionis) dein Cluniacum, demum Cistercium visitans, utrique se familiæ præsentavit, utramque fovit. Bernardus ejus viæ perpetuus comes, dum ne tunc quidem continuis pareit miraculis, amantissimum sibi filium, patremque, quin totius Ecclesiæ, pene in dispendium vitæ potuit adducere. Tantus enim concursus populorum, quacunque pergeret, sanctum sequebatur, ut ne pontifex quidem liber ab oppressione, obrueretur a turba, ægre tandem periculo abducendus. » Factum describit Gaufridus lib. iv Vitæ cap. 5, ubi etiam de miraculis. Manricus cap. 9, de S. Malachia scribens varia ex præsulis istius dignissimi Vita, a S. Bernardo graviter et pathetice ad posteros transmissa, colligit, quæque ab ipso facta sunt extremo, quo inter mortales degebat, tempore. Capite autem 10, scribit de ejusdem pontificis sanctissimi a Claravallensibus suscepti morbo, mortisque prædicatione, nec non piissima ad eam obeundam præparatione, atque suavissima obdormitione in Domino, miraculo etiam illustrata. Verum hæc et alia mellifluis Bernardi calamo expressa videre licet in præclara illa, quam memorabam, Malachia Vita, e qua liquidissime apparet, quanti sanctum hunc sanctus noster faceret, et quam tenero eundem affectu complecteretur.

513. Illud autem, quod in ejusdem Vitæ præfatione, Congano abbati inscripta, narrat sibi a Malachia, extremum jam exhalaturo spiritum, fuisse præstitum, notari meretur ipsis sancti Patris verbis. Sic narrat: « Accurri ego, ut benedictio morturi super me veniret. At ille, cum jam membra alia movere non posset, fortis ad dandam benedictionem, elevatis sanctis manibus super caput meum, benedixit mihi, et benedictionem hæreditate possideo. » Sed ulterius etiam progressa est magnitudo amoris et æstimationis. Etenim « cum corpus sepulture præpararetur, » ut narrat Manricus cap. 11, « dum lavandum exiit vestibus a lavacro resumentis, devotus abbas (quod supra notabamus) pio et amico furto certe fideli, tunicam in qua sanctus obdormierat, cum propria permutatam latenter ab-

A stulit, qua uteretur in festis solemnioribus ad offerendum missæ sacrificium, et in qua demum, cum obiret, sepeliretur. Rem, quandiu vixit, omnibus occultam; sed post obitum ab ipso revelatam, detectamque Godefridus, qui Bernardi Vitam scripsit... narrat. » In funebri autem S. Malachia Officio « offerens pro ejus transitu venerabilis abbas hostiam salutarem, gloriam ejus, Domino revelante, cognovit, et, eodem inspirante, sacrificio jam expleto, formam mutavit orationis, et collectam intulit, quæ ad sanctorum pontificum celebritates, non ad commendationem defunctorum pertinet, ita dicens: *Deus, qui beatum Malachiam pontificem sanctorum tuorum meritis cœquasti,* » etc. Adisis Gaufridum lib. iv, cap. 3, e quo hæc extraxi.

514. Hoc alias a viro sancto factum fertur in Annalibus Cisterciensibus cap. 11, citato, n. 3, e quo huc transcribo ista: « Eundem sanctum ante annos ut minus sexdecim, cum pro Alberone Virdunensi episcopo celebraret, hoc ipsum fecisse, Antonius Demochares præcedenti sæculo ex libro Antiquitatum magistri Richardi (de) Wassebourg, archidiaconi Virdunensis; atque hoc nostro, uterque in catalogo episcoporum Virdunensium, et Joannes Chenu vulgarunt, totidem verbis: *Albero de Chini anno 1131 [supple moritur].* » Sed apud Sammarthanos mox citandos scribitur, tunc ad episcopalem dignitatem promotus fuisse. Pro isto B. Bernardus, cum cantaret missam, mutasse collectam defunctorum in collectam confessorum traditur. Hæc illi: nos nec negare audemus, nec asserere: certe ejusmodi actiones semel in gloria; si repetantur, magna ponderis sui parte carebunt. Quid, quod id ipsum tertio itidem factum pro Alberico cardinali episcopo Ostiensi, quem anno præcedenti defunctum diximus, Joannes etiam Pistorius adnotavit in Chronico Belgico, anno 1138: *Anno (inquit) Conradi decimo quarto moritur apud Virdunum Ostiensis episcopus cardinalis dominus Albericus, ad cujus tumulum B. Bernardus missam pro eo celebrans, cum venisset ad collectam post concionem [fort. communionem] pro mortuo, dimisit, et collectam de confessore dixit.*

515. « Verum est tamen, hos duos forte eundem (esse) ex loci identitate, nempe Virduni, nec magna nominum Alberici. Alberonisque distantia, irreperente errore, qui non facile postea discernatur. Nobis certa suis locis adnotantur; dubia, vel obiter sufficiat tetigisse. » Huc usque auctor Annalium Cisterciensium. Apud Sammarthanos in Gallia Christiana inter episcopos Virdunenses pag. 1167, in Alberone de Chiny hæc etiam lego: « Pro quo missam celebrans B. Bernardus, collectam defunctorum mutasse dicitur in collectam confessorum, cum is « Albero videlicet, » obdormisset in Domino, anno 1138. » Itane vero, dum S. Bernardus jam ab anno 1133 obdormierat in Domino? Sequitur itaque, ut vel illud factum sit apocryphum, vel annus falsus. Manricus « anno præcedenti, » id est 1147. « defunctum »

scribat supra Albericum; « annus » autem « Conradi decimus quartus » incidit in annos Christi 1151 et 1152, atque adeo illa mutatio collectæ, quæ supra narrabatur, secundum Manricum debuisset accidisse annis circiter quinque post mortem Alberici; quod cum Pistorio, quem citat, neququam coheret: atque hinc factum videri posset apocryphum; nisi alia essent, quæ facerent illud magis accedere ad verum. Sunt autem illa. 1º Quia hoc habetur apud Gaufridum lib. iv Vitæ sancti Bernardi cap. 3, etiamsi non sit scriptum ab ipso Gaufrido, sed Gaufrido insertum ex ms. in editione Horstii, et in Mabilloniana uncinis [] etiam a Gaufridi textu discretum; in qua Mabilloniana editione ad ejusdem textus marginem notatur pro « Alberti, » sicut ibi est, nomen « Alberici » legendum. 2º Quia ibi dicitur præsens factum contigisse « ad tumultum... noviter ante defuncti, » Alberici videlicet. 3º Quia in Alberici Chronico, Triumfontium monachi, ordinis Cisterciensis, in episcopatu Catalaunensi, quod vulgavit Leibnitiu tomo II. Accessionum historicarum, et cujus auctor floruit seculo XIII, prædicta mutatio diserte narratur pag. 320, his verbis: « Anno 1151... moritur apud Virdunum Hostiensis episcopus cardinalis et legatus dominus Albricus, ad cujus tumultum B. Bernardus missam celebrans, cum venisset ad postcommunionem, collectam pro mortuo dimisit, et collectam pro uno sancto confessore dixit. » Hinc videtur satis confirmari factum S. Bernardi, ac refutari annus 1147; morti Alberici cardinalis apud Manricum assignatus, uti et apud Ciaconium in Vitis pontificum Romanorum et cardinalium tomo I, col. 993, ubi etiam exstat mutatio ista collectæ.

Hæc occasione S. Malachie dicta sunt: de quo etiam consuli potest Manricus cap. 11, superius allegato, num. 4, in quo profert epitaphium S. Malachie sepulero inscriptum, quodque a « Bernardo Patre conscriptum, hodieque perseverat, » ut ibi dicitur, « sub ejus nomine. » Alia, quæ soluta oratione de hoc sancto pontifice litteris mandavit, recensentur in ejusdem capitis decursu: quod ita concludit Manricus: « Cæterum, quod ad Malachie adventum ad Claravallenses » attinet... ne vel defunctus frustraretur optatis votis, non solum pallia ab Eugenio Hibernie data, verum et auctas archiepiscopales sedes, admittente Bernardo, et juxta numerum provinciarum illius insulæ quatuor designatas, anno 1153 quo evenisse constat, referemus. » At nunc alia nos vocant, quæ refert Manricus ad ann. 1149.

516. Cap. 1, num. 5, occurrit vir sanctus bono publico iterum intentus, dum datus ad Sugerium abbatem S. Dionysii, et, absente regé Ludovico juniore, monarchie Galliarum moderatorem, [epistolis] obnixè conatus est impedire monomachiam execrabilem inter Robertum regis fratrem, atque Henricum Theobaldi comitis filium, quæ tunc utrinque erat indicta ad tempus præstitutum. Consule epistolam 376, inter Bernardinas in Mabillonii editione.

Epistola autem 377, ad eundem data spirat singularem affectum sancti Patris erga salutem regni Galliarum ac regis, qui nondum tunc redierat ad suos post infelicem successum belli sacri. Ad hæc, epistola in S. Bernardi persona a Nicolao scripta ad Emmanuelem imperatorem Constantinopolitanum; qua commendatur ei exercitus Christianorum tempore militie transmarinæ istius, nonne indicio est, virum sanctum egregie invigilasse communi bono republicæ Christianæ? Epistola illa profertur in Annalibus Cisterciensibus allegatis, num. 9.

517. Illustris præterea non minus sancto Patri exstitit Henrici, qui erat regis Ludovici germanus frater, conversio ad institutum Claravallense, quam mundo venerabilis, atque ex rerum circumstantiis spectabilis. Audiamus Manricum cap. 3, num. 7: « Convenit ille Bernardum in Claravalle, negotia quædam regni tractaturus; sed quæ ipse pro regno temporali, in cœleste Bernardus commutavit, vocato homine, et tracto per efficaciam verbi aut orationis. » Robertus de Monte, qui sub isto nomine vulgatus circumfertur, rem innectit anno Christi 1149. « Henricus, ait, Ludovici Francorum regis germanus, contempto mundi schemate, pro Christo in Claravalle indutus monachali schemate. » Quoniam autem modo conversio ista acciderit, narrat Gaufridus in Vita S. Bernardi lib. iv, cap. 2. Sanctum verò hujusce eventus, priusquam contigerit præscium fuisse, videtur haud obscure significare biographus idem, dum Henrico ista a Viro sancto prænuntiata testatur: « Confido, ait, in Domino, nequaquam in eo te moriturum, in quo nunc positus es: sed velociter experimento proprio probaturum, quantum tibi istorum (Fratrum Claravallensium) prosit oratio, quam expetisti. Quod eodem postmodum die non absque multorum admiratione completum est. »

518. Sed mirabilis admodum fuit mutatio dexteræ Excelsi per Bernardum facta, et præter spem omnem ab eo prænuntiata, in Andrea, qui comitatus fuerat laudatum Henricum, dominum suum, ad Claravallenses. In hunc ille invehebatur tamquam in ebrium et insanum, convitia etiam et blasphemias evomens, sancto Patri nomen falsi prophetae tacita cogitatione impingens, et die altera monasterium ejus diris devovens. In causa erat domini sui conversio; sed vehementi Spiritus sancti impulsu victus nocte proxima, et ante diluculum surgens, rediit ad monasterium, ac veluti ex altero Saulo in Paulum alterum mutatum se exhibuit, teste biographo mox allegato, qui mirandam hanc mutationem longiore sermone describit.

§ XLIX. Imperat feris; dissidentem pacificat; mortuum ad vitam revocat; prodest Aurelianensi episcopo; respondet Præmonstratensi abbati; Henrici, regis Gallie fratris, morbus, religiosa professio, episcopatus; Sancti vaticinia; aqua in vinum mutata; obitus Theobaldi comitis.

519. « Hoc item anno, « nimirum 1149, » quantum

ex serie historiae licet conicere, cum comites Viennæ, atque Florestæ [f. Forestæ, inf. comes Forensis] invicem impugnarent, ... Bernardus Pater componendis rebus, atque animis pacandis vocatus est... obviatum ab auctore discordiæ consiliis pacis, et duo lupi in itinere objecti, supra insitam sævitiam furentes rabie... terrere venientes, et pene cunctos a cœpto revocarunt. Consultum de retrocessione est a sociis viæ, ne sanctum periculo exponerent in detrimentum rei publicæ Christianæ. At beatus abbas charitate flagrans, et fide fervidus, nec ab opere pacis dimovendus, angelus pacis, periculum non tam contempsit, quam amovit. » Hæc e Cisterciensi historico ad annum modo designatum cap. 5, num. 1. At rei gestæ seriem accipe, lector, ex Joanne eremita in Vita S. Bernardi lib. II, num. 8, col. 1288, editionis Mabillonianæ: « Burgundiam, inquit, adibat, comitem Foreensem, et comitem Viennæ pacificaturus. Transiens autem per quandam villam, audivit ab incolis loci illius, duas feras immanissimas, quæ vulgo dicuntur varoli (1*), in nemore proximo desævire. Quod cum audissent socii ejus, rogaverunt eum regredi, quia malebant duabus dietis vel multo amplius divertere, quam se periculose feris objicere. Quibus nolens consentire, respondit, se nunquam divertere tali causa. Nec mora, et ecce feræ progredientes in planum, occurrerunt eis terribili hiatu quasi ad devorandum. Quas ubi vident fratres, præ timore nimio cuncti mox ad sanetum virum fugerunt, latitantes circa eum, clamaveruntque una voce: Pater sancte, libera nos. At ille: quid timidi estis, modicæ fidei? Ad hanc vocem manu elevata signum crucis feris opposuit: quæ statim factæ sunt tanquam lapides, tanquam nullam penitus habentes nocendi potestatem. Quo signo viso, omnes, qui aderant, gratias exsolverunt viro Dei immensas. Hoc vero audito, vicini valde lætificati sunt: præ timore enim ferarum egredi non audebant pauciores quam duodecim.

520. « Proficiscens inde sanctus Bernardus venit ad dictos comites: qui, cum pacem ab eis quæsisset, Forensis comes ei humiliter consentit. Comes autem Viennæ improbe refragatus est, dicens quod nunquam esset cum adversario pacem habiturus, donec eum exsulare coegisset: collectoque exercitu terram illius aggressus est. Tunc Forensis comes timore perterritus S. Bernardum exoravit, quatinus ab omnipotente Deo victoriam impetraret. Beatus vero Bernardus victoriam ei confidenter promisit. Hæc fide confortatus hostes suos invasit, cepitque comitem, et hostium tantum numerum prostravit, ut vix aliquis vivus evaderet. Hujusque victoriae gratias reddidit sancto Bernardo. » Hactenus biographus Joannes eremita, qui paulo post n. 11, col. 1289, aliud illustre prodigium litteris commendavit in hæc verba:

321. « Dum navigaret aliquando per Ligerim, navicula ejus forte concussit ponticulum, cui puer (1*) f. ob varios colores sic dictos lego.

supererat: qui statim in fluvium delapsus est, et necatus. Et excitati occurrerunt vicini, defunctum puerum plangentes quem sanctus vir jussit sibi afferri; eoque defuncto ablato, oravit sanctus. Puer itaque, videntibus cunctis, qui aderant, et Deum una voce collaudantibus, ad orationem sancti statim suscitatus est. Tunc a die illa et deinceps hominem Dei, ut patrem filius affectuosissime diligens, postea profectus in Claramvallem, ibi conversus factus est, dictus Tescelinus Nascardus, quia de aqua fuerat sublatus, et piscatus sicut piscis. » Manricus nuperrime assignatus, num. 3, de hoc miraculo etiam tractat; sed dubitat an « in hoc itinere, an in diverso » acciderit; « certe » tamen « per hoc tempus censet patratum: cui sequens subdit epiphonema: « Sic Bernardus Martino comparatus, quod in pluribus aliis superius vidimus, in hoc etiam ei similis evadit, trium mortuorum suscitator magnificus: blasphemii hominis, quem Deus morte multaverat: mulieris extinctæ ad Claramvallem, et hujus in fluvio submersi adolescentis, quos de faucibus mortis liberaverit. » Sed Annalista idem ostendit, se nomen auctoris non satis hic habuisse perspectum, e quo hæc desumpta sint: nam postquam narraverat eventum duorum comitum, quem supra dedimus, citatur ab eo « antiquus auctor, quem Sylva transtulit; » miraculo autem de suffocato in aquis, et vitæ redonato per virum sanctum, subjicit ista: « Hæc idem auctor Gallus, ex quo Sylva; et nos hactenus dicta: quem Joannem eremitam multi putant alii alium, sed cœvum, et fidei integræ: de cujus dietis non liceat dubitare. »

522. At quæret curiosus lector, unde deducta sit allusio ista etymologica « dictus Tescelinus Nascardus, quia de aqua fuerat sublatus, et piscatus sicut piscis? » Respondeo: Nomen *Tescelinus* puto ei proprium fuisse ante submersionem, nec post illam mutatum: quod confirmatur ex eo, quod pater S. Bernardi gesserit idem nomen: unde arguere licet, nomen *Tescelini* fuisse nomen proprium, et hominibus dari solitum aliquando saltem: ita ut videatur hæc quæstio cadere in solum cognomen Nascardus. De quo accipe sequentem conjecturam valde probabilem. Menagius in Dictionario etymologico vel originibus linguæ Gallicæ, ad vocem *nasse* colligit ista: « *Nasse*, instrumentum piscatoris; a Latino *nassa*. Festus: *Nassa*, est piscatorii vasis genus, quo cum intravit piscis, exire non potest. Isidorus lib. IX, cap. 5. *Nassa*, ex viminibus tanquam rete contextum ad capiendos pisces. Plautus: Nunquam Hercule ex ista *nassa* hodie ego escam petam. Silius Italicus:

*Haud secus et vitreas solers piscator ad undas
Ore levem patulo texens de vimine nassam.*

Quæ mihi videntur propositæ modo quæstioni solvendæ perquam accommodata: quasi dicas Nascardum appellatum, quia virtute Bernardi, sicut *nassa*